

Eius Indicis prohibitionem , libros aliquos legere , aut habere.

Quod si quis libros Hæreticorum , vel cuiusvis auctoris scripta , ob hæresim , vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata , atque prohibita legerit , sive habuerit , statim in excommunicationis sententiam incurrat.

Qui vero libros alio nomine interdictos legerit , aut habuerit , præter peccati mortalis reatum , quo afficitur iudicio Episcoporum severe puniatur .

## O B S E R V A T I O N E S

A D R E G U L A M Q U A R T A M E T N O N A M

## C L E M E N T I S P A P A E V I I I .

J U S S U F A C T Æ

Circa quartam Regulam.

*A*nimadvertendum est circa suprascriptam quartam Regulam Indicis fel. rec. Pii Papae IV. nullam per hanc impressionem , et editionem de novo tribui facultatem Episcopis , vel Inquisitoribus , aut Regularium Superioribus , concedendi licentiam emendi , legendi , aut retinendi Biblia vulgari lingua edita , cum hactenus mandato , et usu sanctae Romanae , et universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi , vel retinendi Biblia vulgaria , aut aliis sacrae Scripturae , tum novi , quam veteris Testamenti partes , quavis vulgari lingua editas.

## A D D I T I O

Quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatae , aut editæ cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus , vel ex doctis , catholicisque viris , conceduntur. *Decr. Sacr. Congregationis Ind. 13. Junii 1757.*

## Circa nonam Regulam.

*Circa Regulam nonam ejusdem Indicis ab Episcopis, et Inquisitoribus Christifideles sedulo admonendi sunt, quod in legentes, aut retinentes contra Regulam hanc libros hujusmodi Astrologiae judicariae, divinationum, et sortilegiorum, rerumque aliarum in eadem Regula expressarum, procedi potest, non modo per ipsos Episcopos, Ordinarios, sed etiam per Inquisidores locorum, ex Constit. fel. rec. Sixti Papae Quinti contra exercentes Astrologiae judicariae artem, et alia quaecumque divinationum genera, librosque de eis legentes, ac tenentes, promulgata, sub Dat. Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnat. Dom. M. D. LXXXV. Nonis Januarii, Pontificatus sui Anno primo.*

## De Thalmud, et aliis libris Hæbreorum.

*Quamvis in Indice praedicti Pii Papae Quarti Thalmud Hæbreorum, ejusque glossæ, annotationes, interpretationes, et expositiones omnes prohibeantur; sed quod, si absque nomine Thalmud, et sine injuriis, et calumniis in Religionem Christianam aliquando prodiissent, tolerarentur: quia tamen Sanctissimus Dominus Noster Dominus Clemens Papa VIII. per suam Constitutionem contra impia scripta, et libros Hæbraeorum sub Dat. Romae apud Sanctum Petrum Anno Incaronat. Dom. M.D.XCII. pridie Kal. Martii. Pontificatus sui Anno secundo, illos prohibuit, atque damnavit: mens ipsius non est, eos propterea nullatenus etiam sub illis conditionibus permittendi, aut tolerandi; sed specialiter: et expresse statuit, et vult, ut hujusmodi impii Thalmudici, Cabalistici, aliquique nefarii Hæbraeorum libri omnino dannati, et prohibiti maneant, et censeantur; atque super eis, et aliis iibris hujusmodi praedictæ Constitutione perpetuo; et inviolabiliter observetur.*

## De Libro Magazor.

*Ad haec sciant Episcopi, Ordinarii, et Inquisidores locorum, librum Magazor Hæbraeorum, qui continet partem officiorum; et caeremoniarum ipsorum, et Synagogae, Lusitanica, Hispanica, Gallica, Germanica, Italica, aut quavis alia vulgari lingua, praeterquam Hæbraea, editum, jamdiu ex speciali decreto rationabiliter prohibitum esse. Idecirco provideant, illum nullatenus permitti, aut tolerari debere, nisi Hæbraica lingua praedicta.*